

pertentent, cum difficile fit intra lineam se iustitiae continere.

76 Quinta: nam peccatum tale in Indis non constat esse mortale: quia licet futuri praedicta ut malum quid apprehendunt; non tamen ordinariè in rebus talibus malitiam lethalem aduertunt, sed quod diffonum rationi: ut norunt ij, qui eum eidem agunt & eorum indoles non diu & soleret exculta facile persuadet. Quando autem quis eo modo operatur, non peccat mortaliter, iuxta valde probabilem opinionem, pro qua Doctores adducit Diana Parte 5. Traſat. 5. Resolut. 31. licet P. Torres in Selectis pag. 152. vocet improbabilem. Quando autem peccatum veniale est aliquid, facile occurrere ratio conuenientiae potest; ut licitus possit esse contractus.

Facere quod ut malum iustitiam apprehenditur, non esse mortale.

77 Sexta: quia quaecumque peccatum in furtis talibus accidat, qui emit non cooperatur, dum ignorat an quod hic & nunc venditur, ita furtiuum fit, ut qui vendit nequeat transferre dominium, & actu peccet vendendo. Indis enim multae iniuriae sunt, pro quibus facere competitionem possunt: ad laborandum enim supra vires vrgentur saepius, laboris spatia protrahuntur, & merces generaliter est tenuis. Pro quo est doctrina P. Thomae Sancij Tomo 1. Consiliorum, Cap. 7. Dub. 3. num. 4. de magistris sartoribus fragmenta vendentibus. Et licet conductiis maior solui soleat, quia tamen ij pauciores sunt, non est iuxta illos iudicandum, sed iuxta alios, quorum est potius commoditas attendenda, sicut in aliis contingit: sic enim multa religionis opera publice fiunt pro fidelium pietate fouenda, cum tamen certum sit aliquos ex illis ad flagitia occasionem sumere, & in ciuili gubernatione ludi publici proponuntur pro communi solatio, quibus abutuntur plures, quorum non habetur ratio, ne communitas debitae sibi recreatione fraudetur. Et in eo genere, de quo loquimur, est notanda sententia P. Sancij loco nuper adducto, numer. 5. de vendentibus fragmenta serica, in quo maior pars iuste vendentium attenditur, & ita emi possunt.

Fragmenta serica ut quae emi.

78 Septima: quia ea, quae furto ablata sunt, possunt multoties emi, quando non est spes dominum ea recuperaturum. Pro quo videri potest P. Lessius Lib. 2. Cap. 21. Dub. 8. Dicto 3. & P. Molina Disput. 118. §. illud poltremo. Quod praesertim accidit quando publice venditur. Vbi dici nequit cooperationem esse ad peccatum alterius, quia, ut citati, & alij idem tenentes explicant, ex eo quod quis non emat, non euitatur vendentis peccatum; erunt enim alij plures emptores. Quae ratio licet difficilis videatur aliquibus, est tamen satis probabilis, & hoc sufficit ad negotium praesens, in quo eadem est ratio, non scilicet inueniendi domini eius, quod venditur.

79 Tandem: quia Minerarij scientes furta haec sibi fieri, possent Indis dicere ut sibi redderent, & se illis aliquid donaturos. In quo quidem non peccarent: tum quia suam redimerent vexationem; tum quia absolute non suaderent peccatum, sed peccati minorationem: dum enim domino reddunt praedicta, etsi sub praefato onere, minus peccatum committitur, quam si alij venderentur. Ex quo fit emere etiam posse quan-

Furto ablata quando emi possunt.

do publice venduntur, sic enim minus peccatum Indi committunt, quam si venderent aliò exportanda, ex quo ad dominos peruenire non possent quod tamen in publicae venditione contingere valet; quia licet incertum sit quid in particulari ad singulos pertineat: dum tamen vnus hoc, & alter illud emunt, si non suum, saltem aequiualem tandem assequuntur.

80 Iuxta haec (quae quidem apud nullum pro vtraque parte expensa deprehendi) dicendum forsitan aliquibus visum fuit sine conscientiae scrupulo posse contractionem talem non solum permitti, sed etiam ex parte eminentium frequentari: sed contraria & communis sententia deserenda non est, utpote efficacissimis fundamentis fulcita.

Resolutio quaestio.

CAPVT VIII.

An Mercatores Indici possint merces vltamarinas pro libitu vendere, vel pretium illis valeat per publicam potestatem imponi.

81 Quando merces abundant, vix vlla scrupulo ratio subest, tunc enim omnia moderatè venduntur, quod sibi vtilius reputant Mercatores: si enim generaliter pretium augetur, emptores essent rariores, & pauciores essent contenti, ut videmus temporibus accidere caritatis: sic autem merces deteriorarentur, & multi in iis asseruandis sumptus fierent, ac frigeret contractatio. Vnde experientia ostendit moderatum pretium esse commodius, & eo pacto plus Mercatores diuitari. Est autem difficultas quando abundantia cessat classium retardatione, qualis diebus proximis, in quibus rerum pretia nimis quantum excreuerunt, & Magistratus nihil pro communi vtilitate molliunt, existimantes fortè id amplius expedire: ut Mercatores scilicet lucris competentibus non fraudentur, ex quorum opulentià Regiorum iurium copia dependet, communibus necessitatibus occurratur, pia opera confoventur. Sed certè oportet discutiamus: possunt enim in illis multa iustitiae non conformia deprehendi.

Quid de presentis statu, & Mercatorum stylo.

82 Pro quibus statuendum in primis id quod Doctorum consensus firmat, pretium rerum aliud esse vulgare, seu naturale; aliud legitimum; illud autem non pro cuiusque libitu debere constitui; aliàs naturale & vulgare non esset; sed tot essent pretia, quot capita. Debet ergo illius iustitia ex prudentium iudicio desumi, omnibus quae pro temporum varietate occurrere possunt, expensis. Pro quo videri possunt P. Molina Disput. 348. P. Lessius Lib. 2. Cap. 15. Dub. 2. & 3. Trullench Lib. 7. Cap. 20. Dub. 1. Nauarra Lib. 3. cap. 2. Couarruuias Lib. 2. variarum, cap. 3. num. 1. & 4. qui plures adducunt, & multo plures P. Onate Disput. 63. num. 59. Erit autem prudens tunc iudicium, quando attento pretio, quo Mercator emit, moderatum ei lucrum relinquatur. De qua moderatione cum non ita in particulari Doctores agant, illud pro assignatione illius videtur deseruire, quod apud Mercatores de more habetur circa lucrum cessans, quod ordinariè

Peculiaris observatio circa illud.

nariè ad septem aut octo pertingit, & ita cum pecunia mutuo traditur cum onere cessantis lucri, iuxta eam summam solet computari, quod dicitur dari ad damnù. Est ergo moderatum lucrum simile, cum per contractus acquiritur in ordinaria contractione. Solent autem aliquando tales circumstantiae concurrere, ut lucrum cessans multo amplius aestimetur. Numquam tamen adeo excedit, ut quinquaginta pro centum tribuantur, & multo minus, centum pro centum. Tale ergo lucrum vltra moderationem est in extraordinaria etiam contractione; si certis in hac materia principiis velimus attendere, & non Mercatorum cupiditati blandiri.

Ad Magistratum spectare pretia rebus imponere ad vsum speculantibus frequentiorum.

83 Quia ergo cupiditas malus esse consiliarius solet, circa hoc debet Magistratum prouidentia vigilare. Adhibendum ergo eorum Mercatorum consilium, qui & periti, & Dei sint timore conspicui; multi enim tales inueniuntur. Est enim certum ad Magistratus spectare, rerum pretia statuere, non solum quae ad victum pertinent, sed etiam aliarum, quae ad ordinarium vsum conferunt; quia omnium eadem est ratio: & sicut in agricolis potest frugum pretium augere cupiditas, ita & in Mercatoribus, in quibus maior esse illa solet, ut merito de ipsa Cassiodori sit illud vsurpandum: In immensum iactata rapitur, si iustitia ponderibus non prematur. lib. 4. variar.

Cupiditas fructuanda Mercatorum.

39. Pondere ergo iustitiae pretia rerum sunt omnibus attentis statuenda; circa merces omnes ad necessitates hominum conducentes. Vnde Auctores generaliter loquuntur de mercibus, ut videri potest ex multis, quos adducit Couarruuias Lib. 3. Var. Cap. 14. n. 3. Videatur etiam P. Molina Disput. 364. & praesertim vers. Dubium est. Vbi in ordine ad pretij taxationem frumentum, & coriù pro calcis iungit. Card. Lugo Disput. 26. Sect. 4. qui n. 49. adducit Doctores asserentes valde conueniens esse ut pretia rerum taxentur, quae ad vitam hominum magis necessariae sunt, & ne Mercatorum arbitrio relinquuntur. Mercatoribus ergo pondera iustitiae praecipue imponenda sunt. Et licet sint, qui apud eundem Cardinalem censent non expedire pretia rebus imponere, quia tempore abundantiae non est opus illis, & necessitatis tempore non seruantur; fatentur tamen potestatem Magistratum ad talem pretij impositionem extendi, & obligare quando rationalis est attentis circumstantiis; neque ad sola victualia coarctari, ut videri potest apud P. Rebellum secunda parte, lib. 9. quaest. 2. num. 4. & 5. qui non negat absolute conuenientiam taxationis pretij, ut illi adscribit citatus Auctor, sed quatenus per accidens solet vitio hominum inutilis reddi, neque alia est mens Nauarri pariter citati in Manuali Cap. 23. num. 88. vnde positio nostra communis omnium Scriptorum est calculo comprobata; pro qua etiam potest consuli P. Thomas Sancius Tomo 1. Consilior. lib. 1. cap. 7. dub. 4. n. 11. vbi potestatem taxandi ad omnia se extendere ait, sed praesertim ad ea, quae vitae necessaria sunt. Pro quo & P. Onate Disput. 65. Sect. 2.

De vltima Maribus mercibus eandem esse rationem.

84 Et haec quidem communis, & inconcussa doctrina ad eas etiam merces pertinet, quae vltamarinae sunt; nam in illis sicut pretium esse vulgare potest, ita & legitimum. Attentis enim navigationis laboribus, periculis, & expensis, Theſauri Indici. Tom. 1.

constat illas communem aestimationem non excedere, & iuxta illam prudentium iudicio posse commutari, vnde & per publicam potestatem eorum pretium definiti. Omnia praedicta aestimationis motiua augent quidem aestimationem; sed in illa sui sunt certi fines. Quemadmodum in iis, quae è longinquis regionibus per terram adducuntur certa aestimatio est, & non immensa. Non est autem alia ratio eorum, quae per mare transportantur; quod quidem minoribus sumptibus constare solet, & etiam periculis; cum manifestum sit id quod aliàs inquit Apostolus 2. Cor. 11. v. 26. In itineribus saepe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, &c. & Auctores quidem de pretio loquendo exceptionem vltamarinarum mercium nullam faciunt, sed de illis generaliter pronuntiant; cum constet innumera esse, quae per mare transeuntur. Et navigatio quidem adeo facilis reddita est ad ordinaria commercia, ut sine horrore villo suscipiatur. Nec solum generali illas locutione comprehendunt, sed in particulari de illis agunt; & videri potest apud P. Molinam Disput. 348. in principio; & in fine. vers. Quando de nouo, vbi agit de pretio ligni Brasiliici, & de iis, quae ex India asportantur, & quomodo taxandum sit. Scotus item, Maior, Couarruuias, Medina, & Conradus apud eundem ibidem, §. Ex his de Mercatoribus agunt, qui infortunia naufragiorum patiuntur. Sicut & Bonacina Disput. 3. de Contractibus, Quaest. 2. puncto 4. n. 29. & quomodo pretium ex eo augeri, aut non augeri queat: & negantium sententiam amplectitur P. Lessius Cap. 21. numer. 29. & Cardinalis Lugo num. 41. non ergo potest circa hoc esse dubitatio, quibus praedictis

Affertio 2. In Indijs Mercatores pro libitu vendere non posse.

85 Dico primo. In Indijs non possunt Mercatores pro libitu vendere, sed debent pretij rationem habere, quae generaliter assignatur; non quidem iuxta ipsorum Mercatorum commune iudicium, quod cupiditas elicit, sed iuxta prudentem considerationem; de qua dictum. Iuxta haec ergo iniquae venditiones sunt, in quibus non solum centum pro centum, sed & bis centum, & ter, ac quater lucrantur, ut modo videmus, quando vna ceræ libra vltra sex octidregales venditur, vno vendi solita cum non exiguo lucro, nullis circa hoc genus notis factis expensis, sed raritate aliqua inducta ob Classium retardationem. Et ad hunc ferè modum in aliis accidit. Quod ex dictis redditur manifestum, & praeterea ex eo quod ea quae ex Indijs in Europam asportantur moderatum pretium habent, ut nuper dicebamus, & argentum, arque aurum Indicum more aliorum similium metallorum aestimatur: ergo & è conuerso in iis, quae ex Europa aduehuntur idem est prorsus asserendum.

Affertio 2. Pretium rebus omnibus non esse à publica potestate taxandum.

86 Dico secundò. Non expedit ut omnibus mercibus pretium legitimum imponatur: sic P. Molina Disput. 364. vers. Dubium est Cardinalis Lugo Disput. 26. num. 50. & alij citati num. 83. Ratio est: quia taxatio pretij in tanta mercium diuersitate esset valde difficilis. Tum etiam, quia Doctores agentes de conuenientia taxationis pretij, dicunt eam tunc contingere cum circa ea versatur, quae ad vsum hominum sunt necessaria: atqui quamplurimae sunt merces,

Nonnulla exprimuntur.

ces, quæ voluptati, aut vanitati potius, quam necessitati ſeruiunt: ergo circa illas non est oportuna taxatio. Hac ratione lapidibus pretioſis, & quibusdam aliis, de quibus P. Leſſius Lib. 2. Cap. 15. Dicitur. 3. pretium nullum assignatum est, & ita poſſe vendi pro vendentium libitu, multorum ſententia est, quamvis contrarium teneat citatus Auſtor, & Cardinalis Lugo num. 47. cum aliis. Sic etiam non est cur debeat Gubernator de pretio curare quo vna lintei Cameracensis venditur, quod modò ad duodecim oſtregales excreuit: nec de garapinis, adquiſita purpurâ pro palliis nobilium, galeris caſtoris, & ſimilibus, quorum excedens pretium poſſe aliquando vtile cenſeri Reipublica, vt ſic vanitati, & voluptati minus ſeruiatur.

Aſſertio 3. In aliis eſſe conueniens oſtenditur.

87 Dico tertio. In mercibus aliis quarum vltus eſt neceſſarius, valde expediens eſt pretium à Magiſtratibus assignari: Tales ſunt, lintea communis vſus, panni diuerſorum generum, in quibus villoſi fumeribus ſeruietes, ſericum non exquiliſum, cera, ferrum, papyrus, & alia quæ poterit prudens Magiſtratus conſilio peritorum adhibito examinare, an ſcilicet ex neceſſariis ſint, vel Mercatorum arbitrio relinquenda; & quidem in cerâ, cum illa diuino cultui præſertim deſeruiat, inhumanum, & irreligioſum videtur eam pretio exorbitante diuendere, & diuendentium cupiditatem ſine habenis curentem non frenari. Vbi non eſt quòd timeatur hoc pacto occultandas merces, & maiora futura Reipublicæ detrimenta. Quo euentu abſtinendum à taxatione Doctores aduertunt, vnde & eas nonnulli non eſſe comenientes dicunt de quo num. 83. nam licet poſſit accidere vt aliquandiu occultatio fiat, non poſſe eſſe diuturna, quia valde eſſet Mercatoribus nocua. Deinde pœnis compelli ad vendendum poſſunt, & eorum apotheca viſitari, quæ omnia recte cederent ſi diuini ſeruij, & boni publici zelus in gubernantibus cerneretur.

Partis aduerſa rationes exponuntur.

88 Neque illa quæ num. 81. ſunt adducta pro excuſanda huiusmodi remiſſione ſufficiunt: licet enim regia iura ex Mercatorum opulentiâ ſuccreſcant, ciuium tamen decreſcant facultates, ex quibus ſui etiam Regij proventus habentur. Neque Rex ita iurium ſuorum requirit augmentum, vt non ſit illi potior vaſallorum ſalus, tranquillitas, & commoda viuendi ratio. Vult ergo corpus Reipublicæ vegetum, & ſucculentum eſſe, licet non impingentur ſanguifugæ. Quod autem ad communes neceſſitates attinet, omnino eſt taſi modo agendi cõtrarium, quandoquidem illis extantibus tyrannicè agunt, ex ceſſiuis pretiis plus indigos onerando. Auferunt ergo à multis vt dent paucis, quæ ſuperfluum, cum ſatius eſſet multorum indigentiam remiſſione pretiorum ſubleuare. Per quod eſt etiam ad id, quod de operibus piis dicitur, reſpondendum. Pietati namque iuſtitia præferenda eſt; nec Deo grata ſacrificia ſunt, quæ ex iniuſtis compendiis offeruntur. *Sacrificate ſacrificium iuſtitie, & ſperate in Domino; multi dicunt: quis oſtendit nobis bona?* *Pſalm. 4. v. 6. vbi Mercatorum videtur eſſe vox: quis oſtendit nobis bona? id eſt diuicias, vt habet Campenſis in Paraphraſi.* Illis ergo dicitur, vt ita ipſis comparandos ſtudeant, quòd Deo ſacrificia iuſtitie poſſint immolare. Hæc enim grata Deo;

Pſalm. 4. v. 6.

non illa, quæ ex indigentium exluſto ſanguine proferuntur.

89 Dico quarto. Mercatores exceſſiua pretia reportantes, non ſolum peccant grauiter, ſed ad reſtitutionem obligantur. Hoc eſt conſequens ad prædicta, & tenent omnes Auſtores citati, & alij, quos ipſi adducunt, ſiue de pretio legitimo ſiue de vulgari loquamur. Cum enim in hoc violatio iuſtitie commutatur interueniat, & aperta rapina, dum id, quod non eſt debitum, contra ementium acquirunt voluntatem, per reſtitutionem debet talis inæqualitas ad æqualitatem reuocari. Videatur præter adductos Bonacina ſuprà. verſ. Non tamen. Quia verò innumerati ſunt, qui his indigentia temporibus vendunt, vt poſſunt, quique ab eo lucrando progreſſu, proprioſo iniuſtitie, & conſequenter damnationis ſcopulo, in quem paſſim impingunt, non poterunt auocari, videndum an via ſit aliqua, quæ ſecurè poſſit eorum conſcientia procedere; quod tunc accidet, cum probabilitatis aliquid in opoſita ſententiâ fuerit deprehenſum: pro quo oportet inſerutemur.

Aſſertio 4. obligari ad reſtitutionem vt ſub præſentibus.

Circa probabilitatem partem aduerſe quaſtio.

90 Et generaliter quidem aſſererè rem vendi poſſe eo pretio, quo quis voluerit, quod ſonat L. 1. §. Si heres. D. ad Senat. Conſultum Tabell. dum in ea dicitur rem tanti valere, quanti emi poſſe, non ſolum improbabile, ſed erroneum ex Bañez, & Aragon, proponit Bonacina loco nuper adducto: quamvis ipſe nullam cenſuram adhibeat; ſicut neque alij ab eo adducti. Quamvis P. Molina Diſp. 351. verſ. Ad ſecundum. dicat Iuris-Conſultos quoſdam, qui ita cenſuerunt, erraſſe turpiter: quod aliud profectò eſt à cenſura erroris Theologi; qui eſt hæreſi proximus. Nihilominus ſententia illa ſic generaliter prolata nequit vilo pacto ſuſtineri, licet eam nonnulli tenuerint; de quibus P. Molina Diſputatione illa in principio, qui contrariam tantum proponit vt communem. Sed eſt valde illa diuerſa ab eâ, circa quam verſamur; quando ſcilicet propter mercium raritatem pretia accreſcunt: tunc enim eſt diuerſa ratio ab eâ, quæ pro ſententiâ dicta generaliter proponitur; quemlibet ſcilicet in euentu quocumque poſſe pro arbitrio vendere, quòd eſt contra iuſtitiam videtur manifeſtum.

Rem poſſe vendi pro vendentis libitu, quæ cenſuram mercatur.

In caſu preſenti nõ procedere.

91 Vt ergo in caſu, de quo loquimur, probabiliter liceat, hæc fundamenta ſuccurrunt. In primis: quia Doctores graues docentea, quæ non habent pretium taxatum à Principe; vel à communi hominum æſtimatione, poſſe quem vendere pretio, quo voluerit; cuiusmodi ſunt gemmæ, falcones, ſtatue antiquæ, picturæ veteres, canes inſignes, & alia. Sic plures, quos adducit Bonacina ſuprà num. 25. atqui in caſu noſtro merces non habent pretium taxatum à Principe, neque etiam videntur habere à communi æſtimatione, quia ſi illa deſumenda eſt à peritis Mercatoribus, illi ſunt in hoc modo vendendi primarij, & ita modum talem videntur approbare, cum probi aliâs ſint, & rimentes Deum; non ergo determinatum communi æſtimatione pretium haberet.

Primum fundamentum probabilitatis ex ſententiâ circa res non habentes taxatum pretium.

92 Deinde Doctores etiam graues ſunt, qui aſſerunt poſſe Mercatores pretium augere, ob ereptam lucrando occasionem mercibus aliis, in quibus iacturam paſſi, vt ſi nauis ſit ſubmerſa, in qua

Secundum ex ſententiâ alia circa damnum.

na in mercibus à Mercatoribus tolerata.

quâ illa aſportantur, aut capta ab hoſtibus, vel domus exuſta, in quâ aſſeruntur. Tunc enim damnum illud recompenſari poſſe carius vendendo: quæ eſt ſententia Scoti in 4. diſt. 15. q. 2. art. 2. ad finem maioris ibidem q. 41. & aliorum; non enim ducibus tantis deeſſe aſſeclæ potuerit. Tunc ſic: Mercatores his retardationis claſſium temporibus gratia damna patiuntur, quandoquidem pecunias otioſas habent, & contractatio friget, vnde & videmus eorum eleemoſynas eſſe valde tenues, quæ antea abundantiores videbantur, dum illi lucrorum tenuitatem pro cauſa reddunt; ergo probabiliter poſſunt damna iſta aucto eorum, quæ vendunt, pretio compenſare.

Tertium ex aliis ite circa leuè & imprudentem emptorem.

93 Præterea, ſententia eſt D. Antonini, Angeli, Conradi, & Sylueſtri, quos adducit Nauarra Lib. 3. Cap. 2. num. 30. cum qui ex leuitate mentis, ſeu imprudentia emptoris rem pluris vendit, committere iniuſtitiam, id quod etiam alij communiter tenent. Medina autem apud eundem, contrarium ſentit, & probat: ſibi enim imputet ſtultus emptor. Cum autem Nauarra ipſe communem amplectatur ſententiam, ſic concludit: ſed prior ſententia videtur verior, ſi latitudo iuſti pretij excidatur. Hæc ille: quibus ſatis oſtendit dictam ſententiam eſſe probabilem, cum ſuam, & communem tantum dicat veriotem: & ita intellexit P. Bauny Lib. 1. de contractibus quaſt. 12. verſ. An autem. Quod & indicat Bonacina ſuprà num. 23. Verſ. Tertio, Quando. Vbi cum ſententiam communem proponat, ſic concludit: Quidquid alij ſentiant in contrarium. Sunt ergo contrarium ſententiam, in quorum ſententiâ nihil notandū deprehenditur, niſi quòd communi, & veriori reſiſtatur. Quis autem non videat eandem eſſe rationem, quando quis ſpontaneus emit penuriam tempore? immò maior videtur eſſe ratio, quia in hoc verius comprobatur, quod inter regulas iuris habetur; videlicet ſcienti, & volenti non fieri iniuriam: qui enim ex imprudentia emit, non videtur eſſe ſciens, & volens, cum genus ignorantia ſit imprudentia.

Quartum ex venditione ſub haſta.

94 Item in venditione ſub haſtâ illud cenſetur pretium juſtum, quod extorqueri poſſe, etiam ſi aliâs res ſecundum ſe conſiderata minus multò valeat, de quo diximus aliâs, Titul. 4. num. 43. & Titul. 5. num. 16. & videri etiam poſſe Bonacina ſuprà num. 21. verſ. Ex quo patet: vbi plures Auſtores adducit. Ergo ſimiliter dici poſſe tempore penuriam. Conſequentia oſtenditur: nam quod ibi facit licitantium fauor, poſſe hic facere generalis neceſſitas, quæ non habet legem; & ita omnes Doctores conueniunt, quando talis eſt, pretia rerum accreſcere. Et licet communiter dicatur in ſubhaſtatione id eſſe licitum quia ſic emens omnino voluntariè emit, & ſciens, ac prudens talem tribuit exceſſum, vnde & donatio præſumitur, cum neque ignorantia, nec vis, nec fraus, neque neceſſitas cogat: in caſu etiam noſtro idem dici poſſe: & quod ad ignorantiam, vim, & fraudem ſpectat, manifeſtum eſt; quoad neceſſitatem verò eſt ratio facta: quia neceſſitas, de qua loquimur, pretium auget. Et præterea ſtare poſſe, vt is, qui in ſubhaſtatione emit, ex neceſſitate emat, illi neceſſitati ſimili, quæ in mercibus tempore penuriam occurrit; nec propterea Doctores, qui licitum talem venditionis mo-

dum aſſerunt, illum in tali caſu illicitum pronuntiarunt. Et certè, qui ita emunt contra licitantes, & ſic deſiderium rem comparandi ſeruandum declarantes, ſatis eo oſtendunt rem ſibi neceſſariam eſſe, & ita frequentius accidit.

Ex neceſſitate non videri vrgentem rationem.

95 Quod ſi ſolus titulus neceſſitatis obſtare dicitur, vt non liceat in penuria rerum, quod in ſubhaſtatione: ex eo manifeſtè ſequitur res illas, quæ non neceſſitati, ſed voluptati, aut vanitati ſeruiunt; poſſe à Mercatoribus vendi eo pretio, quod poterint extorquere. Poterunt ergo delicata lintea, vt byſſum, Ruanum, Cofreſium, Cameracum, vulgo Cambray. Purpuram, pannum Anglicum, ſericas telas, quibus delicatioribus vtuntur, Puntas Flandricas, ambarum, muſcum, algaliâ, mappas Alemanicas, tibialia rarioris texturæ, theiſtra ſubtiliſſima, flammeola, & his ſimilia dicto modo vendere. Si autem hoc admittatur, ex eo ad alia fieri argumentum poſſe, quia difficile eſt gradum neceſſitatis attingere, & cum penuria circa prædicta eorum pretium auxerit, conſequenter videtur dicendum, pretium aliorum propter eandem rationem augendum.

96 Tandem P. Bauny ſuprà Aſſertione tertâ, cum ſic ſtatuat: Debet proinde debitor emptori decem pro reſtituere exceſſum pretij, in quo ſe laſum querit iuſtè ille poſſe. & ratione à nobis adductâ, & communi probet, ita ſubdit: Quia tamen contraria ſententia eſt probabilis propter Auſtores, qui illam ſibi deſendendam exiſtimant, eſt iuxta eam perſuadendum non ſit penitenti, ne reſtituat, dici tamen poſſe ſufficere, ſi hic ex animo cum proximo acturum ſe in poſterum ſincere, ac ſine fraude ſpondeat: quia operari ex ſententiâ probabilis in fauorem ſui penitentis ſas eſſe, tam ipſa ſententia, quæ cuique natura eſt iuſta, quam Theologorum Schola ingens Doctorem, ac numeroſa non vltimarum partium turba docet: ſed multorum eſt hominum doctrinâ, & viriute præſtantium opinio, fraudem, quæ intra iuſti pretij limites vendendo admittitur, eo quod hæc charitati dumtaxat aduerſetur, iuſtitia nequiquam, neceſſitatem reſtituendi non parere: hæc ergo, eſt conſulti debeat, non tamen imponi. Hæc ille: iuxta quæ ſatis apparet quantum id potius in noſtro ſit caſu dicendum, vbi nulla fraus interuenit, ſed venditor id aperte petit, quod iuſtum putat, & emptor ſciens & volens emit, ſciens planè penuriam inducere caritatem. Quod amplius vrgebit, ſi addamus leges negantes actionem emptoribus intra medietatem iuſti pretij, ſecuros in conſcientia reddere venditores, quod latiffimè probat D. Eſcobar à Corro Tractatu de vtroque foro. Art. 5. in caſu per celebri poſt. num. 364. Vbi & multos pro eo Auſtores adducit, vt non debeamus P. Bauny doctrinam admirari.

In illius philoſophiâ modo quædam impletur.

97 Viderit autem prædicti Auſtoris conſuſio non eſſe ad rem; quia Aſſertio tertia, ſuprà quam ea doctrina cadit non fuerat pro fraude intra latitudinem iuſti pretij, ſed generaliter de exceſſu pretij, in quo laſio eſſe poſſe; non ergo aptè & ad rem pro illa concluditur, quando de altera eſt ſermo. Ad quod reſponderi in primis poſſe, quidquid de eo ſit, ad nos non ſpectare deſenſionem; ſed an conſequentia in dictis, aut modo dicendi ſit, ipſi viderint, qui dum ſcripta euulgant, ea omnium cenſurâ committunt. Sed in præſenti dici poſſe, licet Auſtor dictus non ſic manifeſtè deduxerit, ex quadam ſententiâ pro